Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

IIII

per gustando tangere, eius memoriam student recolendo semper et loquendo ructare. Unde et apte nos psalmista admonet dicens: Lux orta est iusto, et rectis corde letitia. Letamini iusti in Domino, et confitemini memorie sanctitatis eius. Qui rursus ait: Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine! Que videlicet quam magna esset nullomodo agnosceret, nisi hanc aliquatenus contemplando gustasset. Hinc iterum dicit: Ego dixi in excessu mentis mea. Proiectus sum a vultu oculorum tuorum. Nisi enim in mentis excessu sublevatus dulcedinem suavitatis eterne cognovisset, in hoc adhuc mundo retentus non discerneret quam longe proiectus iaceret. Ostensa ergo animalia vadunt et non revertuntur, atque vadunt et redeunt, quia sancti viri et ab activa vita quam apprehenderint ad iniquitates non corruunt, et a contemplativa quam tenere iugiter non possunt relabuntur. Sicut enim dictum est, ipso infirmitatis sue pondere devicti ad semet ipsos repulsi redeunt, ut euntes discant quid desiderent, et revertentes ubi iaceant sciant; euntes intelligant ubi non sunt, revertentes quid sunt. Sed qualiter hec sancta animalia redeant demonstratur, cum subditur: In similitudine fulguris coruscantis. Bene autem reversio animalium fulguri coruscanti comparatur, quia sancti viri cum ad superna contemplanda evolant, cum primitias sui spiritus in celestis patrie amore ligant, sed gravati humane conversationis pondere ad semet ipsos redeunt, bona celestia que saltim per speculum contemplari potuerunt, fratribus denuntiant, eorumque animos in amore intime claritatis accendunt, quam nec videre sicuti est nec loqui prevalent sicut viderunt. Loquentes autem verbis suis corda audientium feriunt et incendunt. Quasi ergo fulgur coruscans redeunt, qui cum celestia loquuntur, quia per eos superni lumen intermicat, ad amorem celestis patrie mentes audientium inflammat. Ardore itaque coruscantis fulguris cum loquendo percutiunt, ignem spiritalis desiderii spargunt. Alio quoque modo sancta animalia vadunt et redeunt. Vadunt enim cum ad insinuandam celestis doni gratiam in predicatione mittuntur, atque ut ad fidem trahant, mira coram infidelibus signa faciunt. Sed redeunt, quia hec omnipotentis Domini virtute tribuentes sibimet ipsis que fecerint non adscribunt. Cum enim stupenda faciunt fulgur sunt, quia corda intuentium concutiunt, terrent, illuminant et accendunt. Unde scriptum est: In lumine iacula tua ibunt, in splendore fulguris armorum tuorum. Iacula Dei sunt verba sanctorum, que corda peccantium feriunt. Sed ista iacula sunt arma. Scitis, fratres karissimi, quia preliatores viri iacula mittunt, armis vero muniuntur. Dum ergo verbis addunt miracula, quasi armis se muniunt, ne ipsi feriantur. In lumine iacula tua ibunt, quia in aperto exeunt verba Dei. Sed quia comitari debent sententias doctorum facta miraculorum, recte subiun-